



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXXII. De Monastico Ordine S. Gregorii Magni.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXXII.

D E

*Monastico Ordine S. Gregorii Magni.*

**Q**uod de Homero, Poëtarum omnium præstantissimo apud Aul. Gell. *Lib. 3. cap. 11.* legitur; traditque Tullius *pro Arch.* plurimas scilicet Nationes invicem vehementer decertasse, Cujas esset, dum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii illum sibi vendicant, Salaminii reperunt, Smirnaei sua in Patria natum prætendunt &c. &c. id plerumque contingere videmus de viris, quos aut insignis sanctimoniam fama celebriores, aut eximia eruditionis præstantia, rerumvè gerendarum experientia illustriores orbi reddidit. Nulla siquidem reperitur gens seu exulta natio, progenies, tribus, aut familia, quæ ejusmodi heroës non suos velit, quin summo sibi ducat honori, & palam glorietur, quod hosce Indigites, ut ex Virgilio, Servius vult nuncupari Deos patrios, nacta fuerit concives aut contubernales; persuasa ipsorum æstimatione, & famâ quæque versum diffusâ insigne in se, posterisque derivari decus. Eapropter, si quandoque ab æmulis aut rivalibus hæreditarium hoc honoris genus si-

bi avelli, aut quomodocumque diminui sentiant; pro hujus avitæ gloriæ consecratione nullum detrectant certamen, & quod Homerus ait,

*Hastæque & gladio saxisque ingentibus instant.*

Hoc ipsum in præsentiarum contingit de Sancto Gregorio Magno, Pontifice Maximo, de quo S. Ildephonsus *Lib. de Vir. Illustri: cap. 2.* scribit, quod cunctorum meritorum clauverit perfectione sublimis, ut exclusis omnium virorum quorumcumque illustrium comparationibus, nihil ille commode demonstraret Antiquitas, quodque superaverit sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum &c. &c. Adcoque Constantinus Bellorus monachus Cassinensis & plerique ex nobilissima familia Benedictina, rati operæ præmium esse virum hunc incomparabilem; ac, ut illum, largo encomio deprædicat Trithemius, Principem Theologorum, Philosophorum splendorem, & Rhetorum lumen, suis adnume-

rate,



are, pro virili satagunt cæteris firmiter  
persuadere, Benedictini Ordinis alum-  
num aliquando extitisse; atque exinde  
Diaconum Cardinalem à Pelagio creatum.  
Quod quidem Bellorus citatus libro, justæ  
magnitudinis, probare conatus fuit; idem-  
que tueretur Dionysius de Sancta Martha su-  
perior Generalis Ordinis ejusdem, Con-  
gregationis S. Mauri in *Hist. S. Gregorii Mag.*  
Anno 1697. edita. Oppositum sustinet E-  
minentissimus Annalium parens, & S. G e-  
gorium sancti Equitii institutum fuisse secta-  
tum asserit. Ejus sententiam masculè pro-  
pugnat Antonius Gallonius, etiam Oratorii  
presbyter Libro Apologetico, aliique viri  
litterati non pauci tuentur; qui manum con-  
ferunt

*Lucan. Phars. L. 1. v. 9.*

*Infestique obruta signis*

*Signa paresque aquilas, & pila minantia  
pilis.*

Opponentium potissima, & ferè unica  
ratio in eo consistit, quod Sanctus Grego-  
rius Magnus, plurimis in Sicilia erectis Mo-  
nasteriis, Romæ etiam quoddam ædificave-  
rit in clivo Scauri, ad honorem S. Andreae  
Apostoli, quod ipse postea ingressus, & mo-  
nasticam vitam professus; non diu quidem,  
incoluit, quando à summo Pontifice Pela-  
gio Constantinopolim ad Imperatorem Ti-  
berium Constantinum Legatus fuit deputa-  
tus. Quandoquidem verò præfati monaste-  
rii primus Abbas ex Monasterio in Provin-  
cia Valeria, cujus institutor extitit Sanctus  
Equitius, petitus & præpositus fuerit, qui  
utique Equitianum institutum in Monaste-  
rium S. Andreae invexit, necesse est, ut San-  
ctus Gregorius dicatur ipsiusmet fuisse Or-  
dinis, cujus is erat, à quo ad sacram pro-  
fessionem inibi assumptus fuerat. Sicut enim  
more consueto à primo Logotheta, seu au-  
thore quivis ordo Religiosus dignoscitur;

sic ejusdem professores, ad alia loca depor-  
tati istius regulæ communem observantiam  
ibidem introducunt, adeoque sub illo con-  
stituti, seu deinceps constituendi similem  
vivendi normam amplectuntur. Quare si  
primus Andreani Cœnobii constitutus Abbas  
sancti Equitii institutum professus fuerat,  
haud gravatè concedendum erit, quod  
sanctus Gregorius, qui sub ejusdem Ab-  
batis regimine monachum egit, ejusdem  
quoque Ordinis fuerit.

Restat igitur probandum, quod Abbas  
ille memorati Monasterii in Urbe à sancto  
Gregorio exstructi quodque ipse incoluit,  
nequaquam fuerit Ordinis S. Benedicti; sed  
alterius cujuscumque demum. Hoc autem  
Card. Baronius *tom. 7. Annal. ad Annum  
Christi 581.* ex ipsius Gregorii scriptis cona-  
tur evincere. Ejusdem verba sunt *Lib. 4.  
Dialog. cap. 22. Vita venerabilis Valentini*  
( alii Valentini legunt ) *qui post in hac Ro-  
mana urbe, sicut nosti, mihi, meoque mona-  
sterio præfuit, prius in Valeria Provincia su-  
um monasterium erexit &c.* Ubi signanter  
observandum venit, quod Sanctus Pontifex  
exprimat, *mihi, meoque monasterio præfuit.*  
Quamvis enim, eodem pariter referente  
*loc. cit.*; Maximilianus quidam huic mo-  
nasterio quoque præfuisse dignoscatur; il-  
lumque immediatè secutus Pretiosus, cujus  
pariter meminit, & ipso Gregorio adhuc  
in Pontificatu vivente Probus Abbas illius  
Cœnobii esset; nullus tamen horum dicitur  
Gregorio præfuisse. Multorum quidem est  
opinio, quod S. Gregorius huic, à se con-  
dito Monasterio ex proximè adjacente Basili-  
cæ Lateranensi Asceterio, quod Cassinen-  
ses, Longobardos fugientes, incolabant,  
præfecerit desumptum: sed hoc falsum præ-  
tendit Cardinalis; ex eo, quod in comper-  
to sit, primum Abbatem ex Provincia Vale-  
ria petitum: & quia in ea nullum aliud cele-  
bre illo tempore extitit Monasterium, quam  
illud S. Equitii, ex quo primus Abbas de-  
sumptus;



sumptus; in quo vigeat monastica disciplina, ipse Abbas Equitanum Institutum in Andream vexit Monasterium, & juxta illud sanctum direxit Gregorium, qui S. Equitii, tunc defuncti, miracula recenset, ex relatione ejusdem Valentii, sui Abbatis; *Dial. Lib. 1. cap. 4. Silere non debeo (scribit) quod de viro hoc, Abbate quondam meo Reverendissimo Valentio narrante, cognovi &c. &c. Quibus Gregorii verbis Baronius subjungit. Summum Abbatem dum iterum appellat, haud alium ab eo, de quo dictum est, cognosce.*

Huic diversimodè occurrunt Patres Benedictini, & dicunt primo, Quod Joannes Diaconus fidelissimus ac sincerissimus Gregorii vitæ conscriptor apertè tradat Sanctum hunc vitam excoluisse monasticam sub Hilarione Abbate; deinde sub Maximiniano. 2<sup>do</sup>. Affirmant alii, Gregorium sub Valentio monasticam professum, qui fuerit numero secundus post Sanctum Benedictum, at primus Abbas Lateranensis Monasterii, quod fugientibus è Cassino monte monachis concessum fuerat. 3<sup>io</sup>. Volunt quidam, Sancti Equitii monachos sub Sancto Benedicto redigendos, illudque Monasterium S. Equitii fuisse unum eo duodecim Monasteriis, quæ sanctus Patriarcha erexit, quorum ipse Gregorius meminit.

At Baronius aliique cum eo hæc omnia tanquam falsa repudiant, Respondentque ad primum. Quod Joannes Diaconus in eo sit redarguendus, dum scribit, quæ cum Gregorii dictis minimè conciliari possunt: quodque unicus Gregorius, in his, quæ circa se gesta sunt, mereatur præ omnibus fidem.

Ad Secundum Respondent, quod planè constet, diversum fuisse monasterium Sancti Andree ab illo Lateranensi, quemadmodum ex diversa Abbatum serie commodè intelligi potest. Lateranensi siquidem Monasterio primò Valentinianus, non Valentius, inde Simplicianus; & eo demortuo, Honora-

tus præfuit, sicut sanctus Gregorius ipsemet memorat. Alia series Abbatum Monasterii ad S. Andream, ex testificatione ejusdem, supra est exhibitæ: atque non ex proximo, sed alterius Provinciae Monasterio Valentium petitum observat.

Ad Tertium Respondent. Sanctus Equitius in provincia Valeria Monasterium construxit, eique præfuit, quando Sanctus Benedictus in eremo latuit: qui postea duodecim Monasteria, non in diversis Provinciis; sed illic, seu in eadem vicinia ædificavit, quemadmodum Divus Gregorius recenset *Dial. Lib. 2. cap. 4. & seq.* Unde Monasterium sancti Equitii ex horum numero esse nequit. Ipsum verò sanctum Equitium plurimorum Monasteriorum Abbatem extitisse, idem Pontifex narrat. *loc. cit. Lib. 1. cap. 4.*

Quomodo ergo, si temporis ratio obli-  
vetur, quæ in omni lite historica optima moderatrix est, ipse, qui nemini erat, præterquam summo Pontifici subiectus, redigendus erit sub sancti Benedicti imperio: præsertim cum duodecim istorum Monasteriorum curam universalem sibi reservaverit, & singulis singulos præfecisset Abbates. Hæc idem Purpuratus Tomo nono in Appendice ruminat, & demum sic concludit. *Scribitur tot ejusdem Gregorii assertionibus (quibus non acquiescere nefas) non est, qui negare jure possit sanctum Equitium, & sanctum Benedictum diversas, atque inter se distinctas familias monasticas habuisse; ex sancti vero Equitii classe propagatos fuisse Monasterii sancti Gregorii monachos, ex sancti vero Benedicti monachos Lateranenses. Vincat veritas, privata cesset affectio.*

Verum enim verò Patribus Benedictinis hæc Baronii ratio videtur aberratio, & ne videantur ipsi affectionibus privatis regi: sed rationibus duci: pro magni Gregorii Monachatu sub regnula Sancti Benedicti, totam Cardinalis machinam evertere conantur; ut suam in eodem fundo stabiliant: cum  
alium



allam à Valentio primum Monasterii ad Sanctum Andream, Abbatem in urbe esse alleverant: & hæc agglomerant.

I. Ingenus, & lingulare prorsus animi studium, affectus specialis, favor extraordinarius, quo sanctus Gregorius Magnus erga sanctum Patriarcham Benedictum ferebatur, potius quam in Sanctum Equitium, satis superque evincit, quod potius illius, quam hujus Institutum professus fuerit. Præterquam enim quod sanctus Gregorius ante ingressum Monasterii diligentissimè fuisset conversatus cum variis sancti Benedicti discipulis, & ab eisdem hujus Sancti vitam & gesta cumulatisimè perscrutatus fuisset, ut liquet ex *Lib. 2. Dial. cap. 27.* (quale peculiaris amoris Symbolum in sedula & acurata inquisitione gestorum sancti Equitii non exhibuit) ipsam divi Benedicti Regulam aliis quibuscunque prætulit; eam in Synodo Romana confirmavit, ut ipsemet Annalium Princeps *tom. 8. ad annum 595.* tradit. Credendum proinde, Sanctum vitum regulam illam, ut præstantiorem, discretionem præcipuam, suoque Monasterio in Urbe magis commodam, suscepisse. Porro cum S. Gregorius suo calamo consignaverit miracula, facta illustria atque exempla Patrum eorum, qui in Regionibus Italiae antea, vel suo tempore floruerant, in sancti Equitii; non se sac aliorum gestis referendis parior existit, & *Libro 1. Dial.* unico capite illius vitæ compendium absolvit, ipsumque colloquentem Petrum Diaconum, ut plura edisserat exquirentem, & ultra deposcentem, ad Episcopum Reatinum remittit, quatenus ex eodem cognoscat, quæ supererant, nulla interim facta mentione Natalitiorum, obitus, Ordinis per eum instituti, Regulæ conscriptæ, & quæ huc spectare videntur. Ast de Sancto Benedicto integrum librum, in triginta octo divisum capita, conscripsit, & minuta quæque in illius vita observavit; quo sanè posteris persuasum reliquit, quod hunc

potius, quam Sanctum Equitium sibi Patrem & Ducem spiritualemente elegerit.

II. Sanctus Gregorius Pontifex è suo misit Monasterio in Angliam monachos pro conversione infidelium; qui omnes Regulam Sancti Benedicti fuerant professi, ut Auctor est Joannes Diaconus *Lib. 4. Vita sancti Gregorii cap. 80. & 82.* Idque inde probat, quod ii, qui in illa regione reperiebantur, ab ejus discipulis missis propagati, tam in habitu, quam in reliquo vitæ instituto regulam eisdem sancti Patris observabant. Nemini autem in mentem venire poterit, quasi S. Gregorius, qui in eo Monasterio, unde alii missi habitavit, cum suis alumnis monasticum institutum professus, alterius fuerit observantia, quam essent illi. Imo multorum non improbabilis fert opinio, quod Valentio non multò post è vivis sublato, quando sanctus Gregorius fuerat ingressus Monasterium, in Abbatiali Dignitate ipse successerit. Suffragatur Breviarium Romanum, in quo sic legitur. *Monachi vitam professus, postea Abbas fuit, mox Diaconus Cardinalis creatus est.*

Interim Argumentum hoc videtur adversantibus elumbe. Esto enim Joannis Diaconi testimonium, ut incontestabile admitteretur, quod posterii discipulorum sancti Gregorii, quos in Angliam prædicationis gratiã miserat, omnes essent Benedictini Instituti Professores: nequaquam tamen inde inferre licebit, quod Gregorius Magnus illius pariter fuerit Instituti. Potuit siquidem contingere in Anglicanis Monasteriis, quod in permultis aliis contigisse constat, ut à primæva fundatione propria habuerint Instituta, duorum verò sæculorum intervallo, quando Joannes Diaconus vitam S. Gregorii scripsit, Benedictina receperint. Ut enim tempus omnium commutationum parens; & nihil ipse homines immutabile, sic facile evenire solet, ut usitata vitæ ratio transformetur in aliam. Quod insuper à Benedictinis



in confirmationem adfertur, de Abbatiâli officio sancti Gregorii, hoc rationi temporis contrariari ex Baronio dignoscitur. Quod si enim Valentinus obierit Anno Christi 584. ut *loc. cit.* observat, ipseque Gregorius, qui Monasterium Anno 581. ingressus, iussu Pontificis ex eo fuerit Anno 583. avulsus, atque ad Imperatorem Legatus destinatus, quomodo potuit Valentinus in Abbatiâli officio succedere? Nisi, quod nemo facile persuasum habebit, diceretur, quod Legatione perfunctus post Valentii successorem Maximinianum, munus Abbatiâle suscepisset, eo tempore, quo Cardinalis inter monachos ageret: aut certe cum ipso Abbate Maximiniano in eminentiore dignitate constitutus præsuisset. Hæc quidem Henricus Zypeus in sua dissertatione conciliare satagit; an satis feliciter; arbiter sit Lector, qui ponit in pondere iudicium & iustitiam in mensura. Breviario Romano manet sua inconcussa Authoritas. Atram Historici nequaquam existimant Pontificia autoritate se constringi, ad habendum pro Canonizato, quidquid inibi, quomodocunque probatum improbatumve fuerit. Verba sunt Papeprochii in Propylæo, aliâs etiam producta.

III. Quando Sancti Gregorii Papæ corpus fuit inventum & translatum, refert Joanes Diaconus subsequenter. *In exilitate balthæi, qua unus pollicis mensuram nunquam excedit, speciem propositi regularis, olim à Sancto Benedicto constituti, cuius ipse vitam describens in Dialogo, regulam quoque laudaverat, cum servasse luce clarius manifestat.* Atque hinc perspicuum redditur, prioribus sæculis Benedictinis in usu fuisse balthæum tam exilis latitudinis, ut pollicis latitudinem nunquam excederet; eamque exilitatem, ab ipso Ordinis Fundatore statutam, manifestum fuisse characterem signumque distinctivum à cæteris Ordinibus religiosis.

Reponit Benedictinorum Antidicus *tom. 8.*

*Ann. ad Annum Christi 604.* Antiquitas, cum diversi essent Ordines monachorum sese non meminisse, eosdem adeo valde fuisse habitu distinctos, ut vel ex cingulo, cuius quis esset regularis observantiâ, dignosci facile potuerit. Idem *tom. 9. ad annum 827.* concedit quidem Gregorium ex gellato cingulo vixisse usque ad finem vitæ observantiâ monachum; inficiatur nihilominus ex balthæi exilitate convinci, eundem existisse monachum Instituti sancti Benedicti, eo quod Occidentales monachi omnes ejusdem cinguli genere uterentur. Testatur siquidem S. Fulgentius Episcopus Ruspensis, qui S. Benedictum tempore præcessit, consuevisse monachos pelliceo uti cingulo, etiam in Africa. Insuper Cassianus tradit, non monachorum duntaxat; sed & Apostolicorum viroto fuisse consuetudinem, ejusmodi uti cingulis.

Occurritur autem Baronio, Primum quidem: quod defectus reminiscentiâ de tali antiquorum monachorum habitu distinctivo non enervet vim argumenti à Joanne Diacono adducti, qui illius probe meminit: imo scivit, quod suo tempore florentissimi tunc Ordinis Religiosi ex antiqua traditione gestarent cingula, per quæ differrent ab aliis aliorum Ordinum professoribus. Quare vetustissimi hujus ac integerrimi Scriptoris testata scientia præferenda est quorundam Neotericorum opinioni minus probabilis. Deinde licet monachi Africani, atque etiam Ægyptii, alique viti Apostolici ferrent cingula, balthæa, aut zonas pelliceas, non tamen ejusdem latitudinis, qualis fuit Benedictinorum, utpote quæ pollicem non excedebat. Sicut Joannes Diaconus non vult sanctum Gregorium pro Benedictino inde agnitum, quod balthæum, zonam, seu pelliceum cingulum gestaverit: ed quod esset illius latitudinis, quam sanctus Benedictus suis servandam præceperat: scilicet tam exiguum in latitudine, ut unius pollicis mensuram



mensuram haud excederet : quale cinguli genus apud multos Benedictinos , antiquae traditionis studiosos , etiamnum in usu est. His cunctis invicem collatis ac perpenſis , quam opinamentum Joannis Diaconi ex auctoritate , vel ſimilitudine veri , fidem mereatur , quæque probationi vis inſit , ex cingulo deſumpta ; non eſt operoſum dignoſcere.

IV. Non adæquat veri ſpeciem , quod ſanctus Equitius aliquam regulam peculiarem pro ſuis Monafteriis perpaucis compoſuerit , & talem religioſis ſecum viventibus præſcripſerit. Hujus quippe ſine dubio ſanctus Gregorius meminifſet , præſertim ſi ipſemet eandem ex præcepto ſancti Equitii obſervafſet. Quod ſi enim in deſcribendo vitam ſancti Benedicti noluit præterire hoc , quod regulam ſuis præſcripſerit : quis ſibi perſuadebit ; quod de ſancto Equitio voluerit poſteros latere , ſcripſiſſe regulam ; quem & Patrem ſpiritualem elegiſſet ?

Verum hoc inficiale argumentum , niſi aliunde robur acceperit , ſeipſo ruet. Ut enim ſanctus Equitius ſuam aliis non tradidiſſet regulam obſervandam : potuiſſet nihilominus iſdem ab alio conſcriptam exhibuiſſe : ſicut in comperto habetur de ſancto Norberto, S. Dominico aliſque Ordinum Inſtitutoribus , qui ſuis præſcripſerunt ſancti Auguſtini regulam. Et quia Regula hæc , ſicut & S. Pachomii, S. Baſilii ante tempora ſancti Equitii & ſancti Benedicti extabant , ſi Equitiani inſtituti profeſſores propriam non habuiſſent , unam ex his ſibi obſervandam deligere potuiſſent.

Hoc ut credant Patres Benedictini ſibi in animum in ducere nequeunt. Cum enim ſancti Pachomii regula & vivendi ratio , alibi , eo prorſus modo , quo ab ipſo fuit tradita , non fuerit obſervata ; quam in Aegypto : veriſimile non eſt , quod à ſancto Equitio fuerit adoptata ; quæ ob nimium rigorem ſuum , dum Caſſianus in Occidentem eam invehere

moliretur , temperamentum exigebat. Neque ſancti Baſilii Regula , quantumvis egregia , & ad aſſequendam perfectionem religioſam plurimum conducentes , Occidentium moribus congruebant ; vixque ab his obſervari potuiſſent. Minus veriſimile apparet iſdem Patribus , quod ſanctus Equitius ſub regula ſancti Auguſtini cum ſuis vixerit ; licet enim honeſtam atque religioſam vitæ formam hæc regula ſuis traderet : nequaquam tamen ad illam accedebat vitæ auſteritatem , & diſciplinæ rigorem , quem illo tempore optima quæque in Italia obſervare ſolebant Monafteria. Vix enim aliud ſancti Auguſtini Regula continere videtur , quam illud , quod neceſſarium eſt ad honeſtè & irreprehenſibiliter in communitate vivendum.

Præterea ſanctus Equitius fuit Abbas , atque in aliis Monafteriis ſub eodem extructis fuerunt Abbates , de quibus in regula ſancti Auguſtini nulla omnino mentio. Accedit demum , quod in memorata regula præcipiatur , ut habitus Religioſorum non ſit notabilis , ſcilicet per exceſſum in ornatu , aut per defectum in vilitate. Conſtat verò ex ſancti Gregorii relatione , quod ſanctus Equitius tam viliter fuerit veſtitus , adeoque ob hoc deſpectus , ut quos ipſe ſalutabat , ii reſalutare virum dedignarentur ; præpoſtero quidem iudicio , non viro , ſed veſti honorem deferentes , ſultorum inſtar : qui equum empturi non ipſum ſed phaleras intuentur.

Quod ſi ad diſtinguendum Ordinem S. Equitii quis opponat , dicatque , quod ſi cum ſuis ſubditis monachis abſque ulla regula ſcripta vixerit , & juxta beneplacitum ſuum ſolo vivæ vocis imperio eos rexerit : concedent quidem Patres Benedictini , id fieri potuiſſe in eo Monafterio , quod ipſe incollebat : aſt in aliis multum diſſitis negabunt poſſibile , ut omnes conformiter vivant ſine regula præſcripta. Extiterunt equidem non



paucā antiquitus Monasteria, quæ absque ulla scripta regula, solius Abbatis; aut Patris spiritualis arbitrio, juxta introductas observantias & pias consuetudines, directæ & gubernata fuerunt, in quibus monachi ad omnem paratam obedientiam, à Superioris duntaxat nutu, & prudentia pendebant, atque hic modus ante tempora sancti Benedicti plurimis locis vixit apud diversos Religiosos in communitate viventes. Alicubi etiam juxta exempla scripta, vel dicta sanctorum Patrum veterumque Ascetarum Abbates sibi subiectos instituebant, iisque prælegebantur sanctorum Patrum collationes aliivē libri spirituales: sed non omnia promiscuè observabantur: verum illa tantum, quæ loco, tempori & personis congruere videbantur. Hujusmodi Monasteriorum regimen sancto Equitio posset quidem adscribi: attamen quia huic vivendi methodo non inerat stabilitas illa, quam monastica Religio Disciplina, & firma observantia requirebat; quæ sensim in remissionem prolabi solet, ejusque vigor stacessere. Ad hoc evitandum, à sancto Equitio Regulam sancti Benedicti fuisse assumptam autumant hujus Professores: quo quidem S. Equitium nil aliud fecisse censent, quam utulum fuisse alterius labore. Qui ipsemet, si voluisset; stabilitati monasticæ observantiæ prospicere potuisset: si, quemadmodum S. Benedictus, ex præstantissimis sanctorum Patrum monumentis, excerpere regulas placuisset. At cum sancti Benedicti, sanctitate & miraculis celeberrimi, Regulam omnia ferè Italia Monasteria requirebant & recipiebant, non est creditum difficile S. Equitium hanc quoque Regulam adoptasse, quatenus sic posteritati suæ tutissimè consuleret.

Nihilò secius quidam forsitan facilius credent sanctum Equitium ex Basilianorum Statutorum legibus magis commodas selegisse, & instituti à se Ordinis alumnis easdem observandas præbuisset: quemadmodum in

aprico est, plurimos Religiosorum in Germania, aliisque regionibus Occidentaliibus ante sancti Benedicti tempore hoc modo vitam traduxisse & perfectionis semitam inculcasse. Quo pariter suæ posteritati sufficienter prospectum, sanctus Equitius prudenter credere poterat.

Hæc omnia, ut ex nulla autoritate, sed ex similitudine veri duntaxat, fidem merentur, conjecturis nixa, sicut facili negotio rejici poterunt: ita probabilitatis speciem induunt majorem vel minorem, juxta quod prudentis arbitrium subeunt. Interim Patres Benedictini conqueruntur, quod Eminentiſſimus Annalium Conditor summum ferè sibi jus in præca Authorum scripta solet vindicare, atque non raro in conjecturas feratur fallaces, specie quidem veritatis commoventes animum, sibi que fidem facientes, sed sæpenumero falsas. Liqueat ex sancto Gregorio quod sibi, suoque Monasterio præfuerit; nequaquam tamen, quod primus ibi Abbas fuerit. Itaque immeritò Joannes Diaconus redarguendus venit, quod Hilarionem primum Abbatem nominando ipsi Pontifici contradixerit. Cum enim hic fateatur, quod in suscipiendo vitæ monastica instituto tardior æquo fuerit: suspicari fas est, quod is sub secundo, vel tertio loci Abbate habitum Religiosum induerit. Dumque fatetur, Valentium sibi præfuisse; non ideo negat se Hilarionem & Maximilianum vitæ regularis Institutores habuisse.

Quod si etiam PP. Benedictini ultro concedant, quod Valentinus in ædificato à Gregorio Monasterio primus Abbas extiterit; quodque idem sit, quem Joannes Hilarionem perperam vocat, qui Valentii nusquam meminit, haud tamen se constrictos putant, quod Valentinus diversum in hoc Monasterium introduxerit institutum, quam Benedictinum. Valentinus siquidem in Monasterio dum degeret, quod est in Provincia, Abbas fuit, quod Sanctus Pontifex Lib. 4.



*Dial. cap. 21.* insinuat, scribendo, ibidem  
 fuisse Monasterium: nullibi tamen  
 refertur, quod sub directione sancti Equi-  
 tii praefuerit. Neque obstat, quod dicatur  
 illud ipsum Monasterium extruxisse. Quan-  
 quam enim Sanctus Equitius in dicta Pro-  
 vincia multorum Monasteriorum Pater ex-  
 titit: potuit tamen alius, etiam ab eo in-  
 dependens, alia construxisse; & eo tempo-  
 re, quo Divi Benedicti nomen majori cele-  
 britate, quam cuiuspiam alterius in diver-  
 sas regiones & mundi plagas ferebatur, at-  
 que ejus regula ab Antea fundatis Monaste-  
 riis expostulabatur, Valentius eandem suis  
 subditis religiosis proposuisse. Qua ratione  
 non ipse solum Valentius inter Benedic-  
 tinos numeratur: sed duo quoque religiosi,  
 qui feruntur à Longobardis suspensi. Quin  
 & ipse sanctus Equitius à Joanne Trithe-  
 mio illustribus viris Ordinis Sancti Benedicti  
 adnumeratus, ex eadem ratione in Marty-

rologio, ab Arnaldo Wion edito, die un-  
 decima Augusti inter Benedictinos recen-  
 setur. Consent itaque Patres illi, etiam Va-  
 lentius ex Monasterio S. Equitii, ut asserit,  
 à sancto assumptus fuisset Gregorio, qua-  
 tenus Monasterio à se in Urbe extructo,  
 religiosisque inibi congregatis, praefect,  
 nihilominus credi oportere, utrumque ex  
 Divi Benedicti praescripto vitam Monasticam  
 egisse. Quibus fidem suam accommodabit il-  
 le, qui topico conjecturarum agmine impe-  
 titus, non habet quod reponat. Detrectaret  
 utique Baronius redivivus, tam credulus in  
 quibusdam, quam suae mentis tenax, etiam  
 dum obfistentium rationum energiam expe-  
 ritur. Adeo verum est illud monostichum  
 Troachicum.

*Nemo tam est facundus ut  
 persuadeat nolentibus.*

